

nostris reservavissimus, et super quibusdam coram nobis processum fuisset, variis inde, nec levibus conjecturis intelleximus, vitum quidem confidentiæ occulte reppsisse, sed plerisque causis præsumptiones, et conjecturas, quæ ad illud probandum deducuntur, minime sufficere, ejusque rei causa plurimos, qui ante litterarum prædictarum editionem hujusmodi confidentias exercebant, ubi cognoverunt obstructam veritatem propter difficultates probandi in judiciis confidentias ipsas contempta constitutione prædicta ecclesias, monasteria, et beneficia sic recepta, ut prius retinere, alios fructus, pensiones, et alias res accipere, alios eorum exemplo ad similia et graviora fidentius commoveri. Multi enim ipsa beneficia jure retinere nequeunt, alii ne cogantur ad sacros ordines, ad residentiam, ad incedendum in habitu clericali, ut ad bellum proficiscantur, ut inimicos occidant, alii ut alieno nomine lites agant, aut defendant, alii propter crimina incapaces, quidam ut purgato delicto, vel absolute consecuta, illa repetant, eadem in alios deponunt, et in plerisque fructus ipsorum aut eis ministrantur, aut quibus ipsi statuunt sæpe laicis, et inhabilibus. Plerique vel senes, vel infirmi, ut beneficia in domibus suis perpetuent, illa renuntiarunt, et renuntiant in alios, qui vel profanam familiam cedentium de fructibus ecclesiasticis alant, vel illa etiamnum infantibus, aut nascituris, asservent, sacro interdum circuitu retrocessionis reservatione fructuum, et aliarum rerum, aut accessu præsertim ab illis, qui præstandorum jurium cam. Apost. sunt immunes; alii aut incapaces, aut aliis beneficiis onusti, aut ecclesiastico ordini sese mancipare refugientes, aut mere laici beneficia ecclesiastica aliis conferenda procurant, ut de illis postmodum ad libitum suum disponatur, fructus etiam percipientes illorum. Ad hæc plerique ordinarii, et collatores, ac etiam patroni laici curant deponenda beneficia, ut fructus, seu pensiones capiant eorundem, aliisve ministrari. Alia item permulta ejusmodi admittuntur, quibus immaculata rerum divinarum puritas impie violatur, disciplinæ ecclesiasticæ nervus dirumpitur, et imminens patrat exitium animarum.

» § III. Quare nos volentes periculosam talium audaciam novi juris subsidio cohibere, præsentium auctoritate statuimus.

» Ut si quis quacunq̃ auctoritate eccle-

siam, vel monasterium, aut aliud beneficium ecclesiasticum qualecunque ex resignatione, vel cessione ejusque personæ, simpliciter, aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu vel accessu etiam sola dimittentis intentione receperit, ut illa, vel illud etiam in eventum regressus vel accessus, eidem dimittantur, vel alteri postea conferantur, aut illius fructus, vel eorum pars aut vel aliis concedantur, vel pensiones solvantur, ex eisdem hæc confidentia censeatur.

» Itidem, si ordinarius, vel alius collator contulerit ante hæc, aut conferat in futurum, beneficium ecclesiasticum quovis modo vacans, ea conditione tacita vel expressa, ut postea in alterum pro arbitrio collatoris, seu alterius cujuscunque contra juris communis ordinationem disponatur, sive ut de eo provisus, fructus illius, vel partem ad utilitatem vel libitum conferentis, aut decedentis, aut alterius relinquat, et remittat, seu pensionem illi vel illis, quem vel quos idem collator, aut cedens, vel alius per se vel alium, scripto aut verbo jusserit seu significaverit, persolvat, et pariter, si a patrono etiam laico, vel alteri præsentatori seu electori contigerit, aut contingat id fieri.

» Ad hæc si clericus prædictæ cameræ, aut cardinalis, aut alius a solutione jurium ipsius cameræ, vel etiam cancellariæ Apostolicæ exemptus, post resignationem vel cessionem alicujus extranei, de ecclesia, monasterio, vel alio beneficio ecclesiastico in se, Apostolica, vel alia auctoritate factam et admissam, illam, vel illud etiam confectis litteris apostolicis, et possessione apprehensa, in eundem resignantem vel cedentem, modico spatio interjecto, veluti duorum vel trium mensium retrocesserit, aut retrocedat, in futurum, et ex illa recessione fructus ecclesiæ, seu monasterii, aut beneficii, vel eorum pars, seu pensio, seu quid aliud super his reservatum, aut regressus, seu accessus, et ingressus ad illam vel illud, ipsi clerico, vel cardinali, aut alii exempto sit, fueritve concessus.

» Postremo, si quis crimine aliquo absolutus, aut cum quo super irregularitate dispensatum est, denuo receperit quacunq̃ auctoritate ecclesiam, monasterium, vel aliud beneficium ecclesiasticum, quod ante, vel post commissum delictum, aut contractum irregularitatem dimiserit, in quibus horum casuum confidentiæ pravitas sit contracta, casusque hujusmodi litteris prædictis

comprehendantur, ac si illis speciatim expressi fuissent, licet ipsum confidentiæ crimen alterius tantum partis conscientia sit admissum.

» § IV. Ad probandum vero plene confidentiarum abusum, inter alias etiam hæc præsumptiones, et conjecturæ habeantur legitime. Videlicet :

» Si quis post cessam ab se ecclesiam, vel monasterium aut beneficium, et publicatam resignationem, seu cessionem, captamque a successore possessionem, sese in illa, vel illo, seu rebus illius, per se vel alium seu alios, de facto ingesserit, aut fructus perceperit, aut quicunque successor illi, vel ejus propinquus, ipsos aut partem aliquam miserit eorundem.

» Si recipiens beneficium constituerit dimittentem, vel ejus parentes, propinquos aut procuratores ad percipiendum, vel locandum fructus beneficii dimissi, et illi vel illis de fructibus perceptis, aut percipiendis donationem fecerit.

» Si vel sola procuratoris depositione, vel liberis rationibus mensariorum ex parte dimittentis, expeditio, quæ personam recipientis concernit, persecuta sit, simulque expensæ pro ea necessariæ ab illo factæ fuerint.

» § V. Denique, si quis pro concessione alicui facta quacunq̃ auctoritate de beneficio ecclesiastico, per se vel alium, seu alios intercesserit, vel alias in negotio concessionis sese immiscuerit quoquo modo, deinde aliquid de fructibus talis beneficii de facto, etiam per manus possessoris, ac etiam simplicis donationis titulo perceperit, seu de illo postmodum ad voluntatem intercessoris fuerit dispositum quodocunque.

» § VI. Testes autem de quacunq̃ re singulares singulas probare valeant præsumptiones et conjecturas, pluresque hujusmodi præsumptiones, et conjecturæ plenam probationem faciant in prædictis.

» § VII. Cæterum criminosi, et cæteri omnes, qui ad prohibendum in casibus simonia testimonium recipi possunt, ad prædicta omnia admittantur.

» § VIII. Sed ne quisquam etiam vana fiducia fretus, non intendendi contra se iudicii, in crimine perseveret, utque hoc malum gravioris censuræ stimulo usquequoque prohibeatur, omnes et singulos, qui hucusque ecclesia, monasteria, beneficia, fructus,

pensiones, aliasve res intercedente hoc confidentiæ vitio receperunt, ac retinent nisi statim ad se reversi, et resipiscentes celeri dimissione sibi prospexerint, et qui quid tale admiserint in futurum, etiam omnibus et singulis aliis ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, administrationibus, officiis, et beneficiis obtentis, quæ pariter sub dicta reservatione comprehendi volumus, necnon fructibus, pensionibus, et aliis rebus ecclesiasticis, ac etiam Romanæ Curie, et aliis officiis temporalibus præsentium auctoritate privamus, et ad futura inhables decernimus, et in juris subsidium excommunicationis sententia inmodamus, a qua nullus, nisi in mortis articulo consultus, ab alio quam a Romano Pontifice absolutionis beneficium valeat obtinere. Nos enim advocacione causarum hujusmodi, et reservatione cognitionis illarum, rerumque omnium inde emergentium, nobis et prædictis successoribus, ut prædictum est, facta, causis illis denuntiat exceptis, quæ jam coram Nobis pendere cognoscuntur, ac etiam his quas ratione ecclesiarum et monasteriorum, quorum depositio in consistorio fieri consuevit aut debet, itemque contra ordinarios collatores episcopos, et alios superiores prælatos, etiam cardinales haberi contigerit, ut jam aliis nostris litteris statutum est audiendis, decidendis, et terminandis, harum serie prorsus relaxata, decernimus, ita deinceps quoscunque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac prædictæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, sublata eis et ipsorum cuicunque, quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique judicari, interpretari, et definire debere, necnon irritum, et inane quidquid secus in prædictis per quoscunque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

» § IX. Quocirca omnibus locorum ordinariis districtius injungimus, ut in suis quisque ecclesiis, civitatibus, diocesisibus, et locis etiam exemptis, ad prædicta studiose attendant, et quatenus illis relaxavimus, in delinquentes severe animadvertant, si divinæ Majestatis iudicium, dictæque Sedis censuram voluerint evitare. In cæteris vero causis, et negotiis (nobis, et prædictis successoribus exceptis) eosdem locorum ordinarios præsentium auctoritate delegamus, ut gratia et favore postpositis, pro se quisque cum venerit usus, contra prædictos om-

nes sub ipsa exceptione comprehensos diligenter inquirant, suasque inquisitiones, omnes sigillo obsignatas ad prædictam Sedem quamprimum transferant, ut nos, et prædicti successores in causis hujusmodi procedentes, quod justum fuerit, decernamus. Nos enim singulis ordinariis ipsis prædictos omnes, et quoscunque alios, etiam exemptos per edictum publicum, constituto prius summarie, et extrajudicialiter de non tuto ad illos accessu citandi, et monendi, eisque ac iudicibus ordinariis et delegatis, aliisque personis quibuscunque ne prædictorum executionem quoquo modo impediant, vel alias in illis sese interponant, etiam per simile interdictum inhibendi, eosdem ac alios contradictores et rebelles quoscunque per censuras et pœnas ecclesiasticas, ac omnia alia juris et facti remedia opportuna compellendi, auxilium brachii sæcularis quandocunque opus erit invocandi, cæteraque in prædictis, omnibus et singulis necessaria faciendi et exequendi, plenam et liberam tenore præsentium concedimus facultatem.

» § X. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII prædecessoris nostri de una, et in concilio generali edita de duobus dictis aliisque apostolicis constitutionibus et ordinationibus, quodque episcopis, collatoribus, et prælatis prædictis etiam cardinalibus, et quibusvis aliis, communiter et divisim a prædicta sit Sede indultum, vel in posterum indulgeri contingat, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari, aut contra indulta hujusmodi ad iudicium trahi non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, et ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, et litteris Apostolicis, generalibus et specialibus, quorumcunque tenorem existant, per quæ præsentibus non expressa, aut in totum non inserta, effectum præsentium aut attributæ prædictis ordinariis jurisdictionis explicatio, seu exercitium, vel executio impediri valeat quomodocunque vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio speciè; cæterisque contrariis quibuscunque.

» § XI. Litteris prædecessoris hujusmodi nihilominus in suo robore duraturis.

» § XII. Volumus autem, ut præsentium exempla etiam impressa edantur, eaque notarii publici manu, et cujuscunque Curie

ecclesiasticæ, vel prælati sigillo obsignata eamdem illam prorsus fidem, in iudicio et extra, ubique locorum faciant, quam ipsæ præsentibus facerent, si essent exhibitæ vel ostensæ.

» Nulli ergo omnino, etc. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1569. Kal. Junii, Pontificatus nostri anno quarto. » (ADNOTATIONES IV et V.)

§ III.

DE MATERIA, SEU MERCE SIMONIÆ, RE VIDELICET SPIRITUALI, VEL SPIRITUALI ANNEXA.

43. *Materia seu merx simoniæ, quid?* — Notandum prius, rem spiritualem, vel spirituali annexam, pro qua datur temporale a doctoribus communiter vocari materiam, seu mercem simoniæ; ipsam vero rem temporalem vocari pretium, seu munus simoniacum. In præsentibus igitur § de materia, seu merce simoniæ; in sequenti vero de pretio simoniaco agemus.

44. *Res spiritualis, quatenus materia simoniæ, quid?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit res spiritualis, quatenus est materia simoniæ? et quid intelligatur per eam? Resp. I. Per rem spiritualem, pro qua tanquam materia, seu merce datur temporale vi simoniæ, non intelligitur res incorporea, ut Angeli v. g. aut anima rationalis, sed omne, et solum illud, quod aliquo modo donum supernaturale est, seu ad bonorum supernaturalium ordinem spectat, et ad spiritualem animæ salutem ex institutione divina, vel humana ordinatum est. Ita Marchantius, tom. III, tract. X, n. 95; Navarrus, in *Man.*, cap. xxiii, n. 99; Suarez, de *Simonia*, cap. viii, n. 6, cum communi aliorum. arg. c. *Gratia*, 1, can. *Qui studet*, 11, cau. 1, q. 1. cum concordant.

45. *Alia est spiritualis ex natura sua, et quæ?* — Resp. II. Res hujusmodi spirituales multiplices, et variæ sunt: aliæ siquidem tales sunt essentialiter, aliæ causaliter, aliæ effective, ut videre est apud Pirhing, h. t. sect. 1, § 1, n. 2, et alios, patebitque adducendo breviter, et explicando singularum species. Sunt ergo res spirituales ex natura, seu essentialiter tales, consequenter materia, seu merx simoniæ inter alia a potiori sequentes in specie. Videlicet omnes gratiæ supernaturales tam gratum facientes, quam gratis datæ, tam habituales, quam

§ III. DE MATERIA, SEU MERCE SIMONIÆ, RE VIDELICET SPIRITUALI, ETC. 141

actuales. Item virtutes theologicæ et morales infusæ, characteres sacramentales, et similia, argumento desumpto ex act. cap. viii, § 20. Ratio est, quia hæc ex natura, seu essentia sua sunt res spirituales, ut puta dona supernaturalia a solo Deo data.

46. *Alia est talis causative: et quæ?* — Spirituality causative sunt omnia septem sacramenta, item omnia sacramentalia, uti sunt omnes consecrationes, benedictiones quarumcunque rerum, v. g. aquæ, numismatum, crucium, rosariorum, vestimentorum et vasorum ecclesiæ, altarium, etc. Item officia ecclesiastica ad spiritualem, seu supernaturalem finem ordinata, v. g. prædicatio verbi Dei, orationes, quæ ex institutione Ecclesiæ fiunt, etc. Quæ et similia sunt ac dicuntur spiritualia causative, eo quod sint aliquo modo causæ rerum spiritualium essentialiter taliter n. præced. specificatarum. Et quidem quod hæc omnia sint materia simoniæ, universaliter constat ex can. fin. cau. 1, q. 3, c. *Non satis*, 8, et c. *Cum in Ecclesia*, 9, h. t.

47. *Alia effective talis: et quæ?* — Spirituality effective sunt, quæ a dono, officio, potestate, vel jurisdictione spirituali tanquam causa proxime procedunt. Talia plura sunt, et quidem imprimis sunt patratio miraculorum, quæ utpote a gratia gratis data proveniens, ne simoniace fiat, specialiter prohibuit Christus *Matth.* x, 8, dicens: «*Gratis accepistis, gratis date.*»

48. *Enumerantur plures species materiæ simoniæ.* — Secundo talia etiam sunt actus officiorum, et potestatum spiritualium, v. g. ordinare, confirmare, sepelire, etc., quos materiam simoniæ esse aperte liquet ex cit. c. *Non satis*, 8, c. *Cum in Ecclesia*, 9, c. *Ad nostram*, 21, c. *Suam*, 29, h. t.

49. Tertio. Talia sunt omnes actus jurisdictionis spiritualis, fori interni, et externi, v. g. dispensatio in votis, juramentis, impedimentis, legibus ecclesiasticis, quos materiam simoniæ reperies can. *Nullus episcopus*, 24, cau. 1, q. 1, c. *Nemo*, 14, h. t. c. *Ad aures*, 24, eod. et novissime in concilio Trident. sess. 24, cap. v, de *Reformat. matrim.*

50. Talia item vel maxime et frequenter occurrentia sunt, electio, postulatio, præsentatio, nominatio, institutio, collatio, investitura, etc. ad beneficia, dignitates, et prælaturas ecclesiasticas, quæ ne simoniace fiant, passim prohibetur in jure, ut c. *De*

hoc, 11, c. *Matthæus*, 23, c. *In tantum*, 36, h. t. cum Concordant.

51. Et universaliter taliter sunt omnes alii actus potestatis ac jurisdictionis ecclesiasticæ tam voluntariæ, quam contentiosæ, per jura citata, quibus adde c. *Vendentes*, 10, cau. 1, q. 3, et ibi Glossam, § *Justitiam*. Item c. *Cum ab omni*, 10, de *Vita, et honest. cleric.* Ratio est, quia omnes isti actus sunt ministerium quoddam ecclesiasticum, quod ne pro temporali simoniace præstetur, universaliter prohibetur c. *Ad nostram*, 21, h. t.

52. *Res spirituali annexa, quatenus materia simoniæ, quid?* — Quæritur II. Quid, et quotuplex sit res spirituali annexa? et quid intelligatur per eam, quatenus est materia, seu merx simoniæ? Resp. I. Per rem spirituali annexam ad propositum intelligitur illa, quæ quidem in se, et intrinsece spiritualis non est, sibi tamen annexam et conjunctam habet rem spiritualem, indeque materiam, seu mercem simoniæ ingreditur, ita doctores communiter, et statim magis patebit ex dicendis.

53. *Alia sunt rei spirituali annexa antecedenter.* — Resp. II. Tripliciter potest aliquid esse annexum rei spirituali, antecedenter, videlicet, concomitanter, et subsequenter. Antecedenter rei spirituali annexa sunt, quæ prius jam existunt, et præsupponuntur, antequam rei spirituali annectantur, vel cum ea jungantur. Hujusmodi res sunt templa, altaria, calices, vestes, et vasa sacra, omnesque aliæ res consecratæ, et benedictæ, utpote quæ omnes tanquam quid ex se profanum prius jam existunt, antequam benedicantur, vel consecrentur, seu antequam benedictioni, et consecrationi tanquam rei spirituali annectantur, et cum ea jungantur. Et quidem has omnes materiam simoniæ esse, passim habetur in jure præsertim vero ex can. *Si quis objecerit*, 7, cau. 1, q. 3.

54. *Alia concomitanter.* — Concomitanter annexa sunt, quæ cum re aliqua spirituali intrinsece, et inseparabiliter sunt conjuncta; uti est, v. g. labor actualis, seu exercitium corporis in celebratione missæ, administratione sacramentorum et aliorum officiorum divinorum. Intuitu cujus connexionis materia, seu merx, simoniæ sunt, ita, ut pro tali labore dare, vel accipi temporale non possit; prout magis dicitur inira § 10.

55. *Alia subsequenter.* — Subsequenter